1515. d. 16. Junij —

# Petrus Thomicius Episcop. Przemysliensis Cardinali Gorcensi —

84

Rndme in Christo Pater et Domine
Domine observandissime —

Tametsi non ambigam supervacaneũ esse, ad Vestram Rndmam Dominationem, (: cui omnia apud Serenissimos Hungariæ et Poloniæ Regum Mtes exploratissima sunt:) perscribere, quanta rerum necessitate solvendi tam diuturni Conventus utraque Mtas teneatur, quia tamen longe majore et incredibili negotiorum sarcinã, Mtas Serenissimi Regis Poloniæ premitur, Cui Dominiorum suorum fines, ab anniversariis, et immanissimis hostibus, severo quodam et prænefausto Regni sui fato, cum aliis continuè, tum hoc præsertim nostro seculo, quo Mtis suæ admiranda felicitate, virtuteque, trium Potentissimorum hostium diuturnis successibus elatorum impetus non modo fortissimè repulsus, verũ etiam amplissimo cum fœnore relatus est,

ne tanta Ejus:

ne tantâ Ejusdem mâdis absentiâ recrude=
=scat, præsentissima necessitas incumbit. Tan=
=ta equidem, ut hic, si Subditorum suorum fe=
=licitati (: cujus debita cura primas sem=
=per ad eum partes obtinuit :) consultû esse
velit, longiori jam tempore commorari ne=
=queat. Vestram Rndmam Dominationê,
pro meo in eam singulari studio, et sum=
=ma observantia, cohortari operæ pretium
arbitratus sum, ut pro adultæ suæ gloriæ
sempiterna accessione, nullis laboribus, ac
vigilijs parcat, tantos Terrarum Principes
congregandi, conjungendique, ut qui ex hoc
saluberrimo, et multis ætatibus memorando
Conventu, non tam eorum Dominiis, quâ u=
=niversæ Rei Christianæ proventura con=
=sultissimè, cunctorum consensus existimat.
Vestræ Rndmæ Dominationi (: utpotè tan
excelsæ Fabricæ, primario Architecto :) me=
=ritissimo accepto ferantur. Cui me, et
Deditissimam servitutem meam penitis=
=simè Dedo atque commendo. Datû
Posonij Die Decima Sexta mensis Junij
Anno Domini Millesimo Quingente=
=simo Decimo Quinto —